

## OVATIONES

SISTER AGNES JOSEPHINE CONWAY

Hodie quidem decet nos omnes laudare et celebrare collegam praestantissimam, quae multos annos fuit admirationi discipulis suis. Haec femina mirabilis maiorem partem vitae suae egit in urbe praeclarorum iuris consultorum ubi se iunxit ad societatem sororum piissimarum et didicit linguas antiquas quas amabat et quas plurimos alios simili modo quoque amare docuit. Paulisper magistra linguae Latinae in Academia Parvi Floris pro Puellis, tum apud universitatem fidei sanctae consecratam in capite patriae nostrae meruit gradus artium magistrae et doctoris philosophiae. Denique facta est Professor linguarum Graecae Latinaeque apud Universitatem Collis Castanearum ubi plurimas discipulas ad gaudium litterarum antiquarum legendarum introduxit. Praeterea haec doctissima reddidit in linguam nostram scripta quaedam Cypriam Episcopi Carthaginiensis et Leonis vocati Magni. Compluribus aestatibus calidis itinera memorabilia faciebat: ad urbem aeternam septem collium; ad domum Sibyllae venerandae, et ad locum illustrem avibus aureolis. Hic in Instituto Aestivo appellato Orbe Romano, apud Collegium Dominae Nostrae de Terra Mariae, magistris linguae Latinae gratissimum auxilium tulit. Eruditionis, sapientiae, benignitatis, humanitatis eius priores discipuli numquam obliviscentur. Plaudamus igitur Sister Agnes Josephine Conway.

*College of Notre Dame of Maryland* SR. THERESE MARIE DOUGHERTY  
*University of Maryland* JUDITH P. HALLETT  
CW 93.6 (2000)

PHILIP T. HEESSEN

Hodie honoramus magistrum multorum magistrorum, multarum magistrarum. Praeditus summa patientia industriaeque formicae fabulosae,<sup>1</sup> sapientissime benignissimeque studia classica docebat, crebris cum facitiis. In hac civitate, ubi tintinnabulum Libertatis primum resonabat, gradum baccalaurei apud Seminarium Sancti Caroli, magistri artium apud Universitatem Villae Novae, doctoris philosophiae apud Universitatem hedera obsitam, proclamantem leges sine moribus esse vanas adeptus est. Multos annos apud diversas academias, inter quas unam pantheribus insignem, plures annos apud Universitatem Oppidi Pistoris innumeros discipulos erudiebat. Semper conferens plus sui temporis quam necesse erat—autumno vereque, etiam aestate—propter suos labores extraordinarios solus efficiebat ut complures adipisci possent gradus baccalaurei magistrique magistraeque in studiis classicis. Arte docendi peritissimus, ardentem impertiebat suos varios amores: loquendi audiendique sermonis Latini; investigandae linguae antiquissimae, matris vocabulorum Graecorum Latinorumque; legendorum operum Ciceronis et Vergilii nostri. Plaudamus igitur Philip Heesen.

*University of Texas at Austin*  
*University of Maryland*  
CW 93.6 (2000)

TIMOTHY J. MOORE  
JUDITH P. HALLETT

<sup>1</sup> Horace, *Sat* 1.1.33: *parvola . . . magni formica laboris.*

## MARIE HILDEBRAND BINTNER

Ad se praeparandam ut iuvenes optime instrueret, haec femina doctissima operam litteris Latinis et Anglicis item rebus historicis et artibus docendi in universitate memori Legum cum Moribus tam diligenter dedit ut honores quotannis mereretur. Deinde, quam mature in curriculo vitae suo probata est tamquam magistra egregia! Anno nono postquam ea iuvenes erudire ingressa est, universitas Lucis et Veritatis non oblita propter multas litteras commendationis ab ipsius discipulis sponte scriptas statuit ut praemium summi honoris huic urn ex tribus magistris per totam patriam nostram electis condonaret. Annis paene quadraginta in docendo peractis, simili modo propter commendationes discipulorum ultro relatas etiam plures honores bene meritos ab aliis universitatibus collegiisque recepit. Consensus has omnes commendationes designans sic exprimitur: Haec magistra nos summo amore vitae, virtutis, veritatis et voluptatis discendi itidem studio linguae Latinae et nostrae imbuit.

Exemplo huius magistrae inducti, complures ex discipulis eius annis posteris operam litteris classicis dare perrexerunt. Si monumentum requiris, circumspice. Aliqui ex discipulis eius apud nos in hac Societate Classica Civitatum Atlanticarum hodie adsunt. Si placet, surgite ut vos agnoscamus. Postremo memorare oportet laudationem qua praeses curatorum Scholarum tempore decessus eius de laboribus hanc magistrā excellentem in excelsis tollit. Ad eam artis docendi peritissimam merito celebrandam, Mariam Schaeffer Hildebrand Bintner plaudite omnes.

*Millersville State University*  
CW 93.6 (2000)

PHILIP T. HEESEN

## IRVING KIZNER

Hodie honoramus septuagenarium extraordinarium, facetum et festivum, natum in civitate clara propter hortos sed nutritum in municipio, memorato propter clamores, urbis quae numquam dormit. Educatus in nobilissimis universitatibus publicis et privatis illius ingentis urbis, stipendium meruit in terra solis orientis. Tum incepit studia classica in collegio publico quod doctas feminas producit et nomen venatoris fert, ubi gradum Magistri Artium adeptus est. Interea fiebat magister linguae Latinae apud academiam illius collegii, ubi triginta annos manebat, quoque docens in vespertina et aestivali parte collegii ipsius. Erudiebat filias huius almae matris diligentissime hilarissimeque, perinde ac tres filias suas alebat. Tria lustra largitus est sapientiam eruditionemque in academia privata et illustri, vir—ut Ovidius noster dicit de magistris suis—insignis urbis et arte.<sup>1</sup> Plaudamus igitur Irving Kizner.

*University of Maryland*  
CW 93.6 (2000)

JUDITH P. HALLETT

<sup>1</sup> Ovid, *Tris* 4.10.16: *imus ad insignes urbis ab arte viros.*

DIANA STONE  
HYMNUS IN DIANAM LAPIDARIAM<sup>1</sup>

Dianae gloriam et decus  
Canamus Lapidariae;  
Dianam canimus comes  
Leslia, Anna, Atalanta.

Grace and glory we intone<sup>2</sup>  
Of the rare Diana Stone  
Atalanta and Annie  
Joining Leslie in a tri-  
O, we sing your praise, Diana.

O, Leonia, maximae  
Sedes Caesarea in Nova  
Magistrae locus es deae  
Felibusque faventis.

Liontown in Garden State  
Home to teacher truly great  
Who divinely jumps and jives  
For those creatures with nine lives.  
O, we cherish you, Diana.

Mane sed vehitur Novum  
Curru turpi Eburacum: eam  
Noverunt bene porticus  
Bamford et Philomelae

Toward Manhattan in fine fettle  
You put pedal to the metal.  
At Nightingale-Bamford's gate  
Every morning you habituate.

Yalensis, honoribus  
Tu es ornata et inauribus;  
Te nulla est studiosior  
Musarum veterumque

Honored grad of Eli's school  
Ears bedecked with gold and jewel  
Peerless as a devotee  
To offspring of Mnemosyne  
O, we like your style, Diana.

Tuo numineque incitas  
Mentem discipulae tuae,  
Quae fors perlegit Eclogas  
Heroosve Maronis.

Like a goddess you inspire  
Those you teach to aim much higher,  
Tackling Vergil's shepherd stuff  
Or the arms and man that can be tough.

Semper tuta tua aegide  
Stet sospesque Latinitas  
Musarumque vocabimus  
Te amicam sociamque

If you spread your charm around  
Latin will stay safe and sound.  
We hail you as pal and chum  
Of those who call Memory Mum.  
Let us applaud you, Diana.

*Gettysburg College*  
*University of California, Berkeley*  
CW 93.6 (2000)

LESLIE CAHOON  
A. G. KOZAK

<sup>1</sup> Catullus 34: *Dianae sumus infide / puellae et pueri integri: / Dianam pueri integri / puellaeque canamus*. The meter of the hymn is three glyconics (the first three lines of the Passover song "Dayenu") followed by a pherecratean (*Gaudeamus Igitur* with a long syllable in the sixth foot).

<sup>2</sup> English lyrics by Judith P. Hallett, University of Maryland, College Park. They also recognize the efforts of Annie Stone of Brown University, and Atalanta Mihas of Georgetown University, and it may be sung to "Diana," written by Paul Anka (1957).